

Respondit Alphonsus Martines: Arbitrari fedit Michael Vasquez de Padilla. In ultima vero Theſum Concluſione, in extremam de Summi Pontificis certitudine, & indeficientia opinionem abeuntes, Banneſium oblique petebant; quaſi qui nimis jeune hoc de argumento ſenſiſſet: *Eccleſiæ caput*, inquebant, eſſe Romanum Pontificem, pro tempore exiſtente, nunc vero S. D. N. Clementem VIII., affirmamus: quem & de fide eſt errare non poſſe in iis, que ad univerſalis Eccleſiæ fidem, & mores pertinent: Et de fide ſimpliciter eſſe, & immediate, (quod alii vocant per ſe primo) verum Petri ſucceſſorem, & legitimum Chriſti Vicarium, ſuſtinemus. Hoc enim magis pium, & rationi, & fidei conſonum eſt. Neque vero ſatiſſeri conſonum ab iis, qui dicentes, hoc eſſe ſecundario de fide, concedunt, poſſe illi ſubſeſſe falſum; cum iis, que quovis modo de fide ſunt, nulla omnino ſubſeſſe falſitas poſſit.

Quam ſincera, quam ingenua fuerit retractatio probavit eventus. Sublato enim Clemente VIII., quo tempore Paulum V. finiendæ Controverſiæ De Auxiliis paratiſſimum ſentiebant, eaſdem in illum artes inſtauraverunt. Theſes publicæ Diſputationi paratæ ſunt Barcinone die 4. Januarii 1606. probante, ac ſubſcribente Raphaelo Gueran e Societate Jeſu; in quarum ſeptima Concluſione ſic habebantur: *De fide debemus credere, Clementem VIII. fuiſſe ritæ electum, ac verum Pontificem; certitudine vero morali, Paulum V. eſſe verum Pontificem.* Injuriam gravitatem augebat ſtudioſa illa Clementem inter, & Paulum appoſita diſtinctio; quaſi quid in uno, quam in altero minus eſſet. Sed eam diſtinguendi neceſſitatem induxerant rerum vices. Quid enim Societati a Clemente VIII. tunc temporis timendum erat, ut ejus Pontificatum in dubium vertere, neceſſe foret? At multum erat, quod a Paulo V. pertimeſceret; quem ad ſerendam doctrinam ſuam damnationem paratiſſimum agnoſcebat. Ut ut eſt, palam coram Epifcopo interceſſerunt Prædicatores Barcinonenſes, ne publice defenderentur, ob irrogatam Paulo V. gravem injuriam: hinc effectum eſt, ut novi diſſidii ſemina, quam primum oppreſſa, vix ad Pontificis aures ſub finem anni pervenerint.

Non abſimile quidpiam anno 1614. tentatum

(1) Exiſtunt in Archiv. Ord. Præd.

## FINIS LIBRI SECUNDI.

eſt, quo tempore Rex Catholicus, ad nova ſopienda diſſidia, Congregationum iſtarum ſancita judicia ſolemniter promulgari, denuo ſupplicabat. Solemnes Diſputationes Granatæ habuerat F. Hyacinthus de Soſes, Ord. Prædicatorum die 16. Junii, in quibus aſſertionem iſtam propugnauerat: *De fide eſt per ſe primo, quod ille numero homo, qui modo feliciter gubernat noſtram Eccleſiam, ſit ſummus, & verus Pontifex.* Extremam ille, uti vides, opinionem induerat, quam ante annos aliquot Jeſuitæ Valliſoletani publicis Theſibus propugnauerant, ut Banneſii ſententiam, apud Theologos receptiſſimam, vellicarent. Quidni ergo tranſugam militem expanſis ulnis Societas exceperit? At mutatus illi erat cum annis animus, novique rerum eventus novos ſenſus attulerant. Diſplicuit jam aperta nimis, atque extrema de certitudine Pontificatus opinio, quam antea ſtudioſe defendebant: quod videlicet eo tempore imminens aliquid Sedis Apoſtolicæ, judicium vererentur. Privatos Inquiſitores occuparunt, ne Theſes propugnari ſinerent, ſuaque apud illos auctoritate, & gratia obtinuerent, ne reſiſta defenderentur. Cauſam ad Summi Pontificis Tribunal detulit Hyacinthus Soſes, magnam ſe ex illa aſſertione gloriam reportaturum, ſperans. Dedit prolixas admodum Epistolæ die 18. Julii, ex quibus rei geſtæ ſeriem diſcimus. (1) In eundem ſenſum, atque in eadem pene verba ad Generalem in Hiſpania fidei Quæſitorem ſcriptis hac ipſa die, patrocinium in ſubjectos Inquiſitores rogans.

Quid reſponſum, quidve hac occasione ſubinde ſtatutum, nuſquam lego. Hinc tamen æqui rerum æſtimatores intelligent, Societatem eo duntaxat ſine invidioſas illas de Pontificatu certitudine opiniones ea rerum tempeſtate ſuſcitari, ut quas veritatis Sedis Apoſtolicæ definitiones eluderet: nec eas interdum alio animo revocaffe, quam ut temporis ferviret, & publicam bonorum omnium indignationem averteret.

Interea vero Clemens VIII., omni arte, & machinatione ſuperior, ſtabat in incepto, firmumque ferendi iudicii propoſitum tenebat; quanquam importunis Jeſuitarum querelis laceſſitus, novam tandem cauſam cognitionem ediderit, que ſequentis Libri Argumentum erit.



# HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ LIBERTERTIUS.

Quo quinta Cauſæ Cognitio, ab anno 1602. ad annum 1605. coram Clemente VIII., & Eminentiffimis Cardinalibus, Generalibus Inquiſitoribus, aliisque Cenſoribus deputatis habita, narratur.

## CAPUT PRIMUM.

Novis Societatis præcipuis inclinatus Clemens VIII. quintum Examen, coram Sanctitate Sua habendum, edicit.



Um Clementem VIII., toto anno ſuperiori tentatis artibus, illatiquæ Pontificiæ Auctoritati injuriis, minime teritum experirentur Molina Vindices, quin potius eum ad ſerendam Definitionem Apoſtolicam omnino propenſum agnoſcerent; tentarunt ſub hujus anni principium, num illum ſaltem, novo petito examine, defatigare, novaque moras ducere poſſent. Varios libellos ſupplices menſe Januarii dederunt, quibus novi examinis neceſſitatem, attenta præſertim priorum Cenſorum paucitate, ſuadere nitentur. Cenſores etiam levitatis inculcabant, quaſi qui centum circiter Molina propoſitiones in primo Examine notaſſent; in cæteris vero nonniſi viginti conſiſſent: eaque arte Molina ex parte abſolutum innuebant.

Criminationis hujus, quam nonnulli etiam Scriptores temere refricarunt, (1) vanitatem dignoſcet, quiſquis Cenſuras omnes mutuo contulerit. Nulla enim Molina propoſitio in priori Examine damnata eſt, que in poſterioribus admiſſa ſit; ſed varia duntaxat CONCORDIÆ loca, in eodem errore ſtatuentes conſpirantia, ad certas dogmaticas propoſitiones redacta ſunt. Unde effectum eſt, ut centum plus minus Auctoris hujus contextus, in prima Cenſura notati, ad viginti propoſitiones, ad quas firmandas, ſtatuendaſque collimabant, compendio revocati ſint; uti plenius ſuo loco diximus. (2)

Serry Tom. I.

(1) Ripald. tom. 2. diſp. 113. Quæſt. Auct. quæſt. 1. cap. 2. (2) Lib. 2. c. 12. (3) Hæna de Scient. Med. pro. 1.

Observatione digniora ſunt, quæ libellis ſuis ſupplicibus expoſuit Gregorius de Valentia, & Ferdinandus Baſtida. (3) Prior enim memoratis Romanorum Cenſorum judiciis, ſuperioribus annis adverſum Molina CONCORDIAM pronuntiatis, tria ſibi ſumebat demonſtranda. 1. Res, in quaſtionem vocatas, dubias eſſe, & inter Theologos controverſas. 2. Non congruere, ut præſens Controverſia definiretur. 3. Neceſſarium videri, ut Molina loquendi modi nova editione caſtigarentur: *Juſſu Sanctitatis Veſtre*, inquebat, *deputentur aliqui Theologi, qui additis in modo loquendi Molina, aut detractis iis, que opportuna videbuntur, ad tollendam omnem offenſionem, parent novam librorum Molina editionem, cui præmittatur Præſatio, ex qua lectoribus conſtet, eam ſolam editionem impoſterum habendam pro conſentanea menti Auctoris ipſius: ut ex iis, que de ſua ſententia, & merito ante mortem per varias occaſiones expoſuit, intellegi poſſit.* Ex quibus obiter dignoſcere eſt, quantum propriæ cauſæ meritis diſſiderent, qui nec Controverſiam finiiri volebant, nec Molina inmendatum dimittendum fatebantur.

Alter diſſeminatos adverſus Societatem rumores diſſipandos aggrediebatur. 1. erat, de nimia in Molina vindicando pertinacia. 2. De novis in dies oblatiſ petitionibus. 3. De imprudenti, & indiſcreti rerum ſuarum ſtudio, & affectu. 4. De audaciori Cenſorum Romanorum deſpicatione. 5. De quaſtione, & affectatis dilationibus. 6. De ſuſcitatis ex inobediencia rumoribus, ac querelis. 7. De contempta SS. Patrum, ac præſertim Auguſtini auctoritate. Quapropter ſuo, totiuſque Societatis nomine rogabat, ut nova Cauſæ cognitio haberetur; in qua S. Auguſtini ſententia de controverſis opinionibus publica diſputatione expenderetur.

Eam publice diſputandi pruriginem anno ſuperio-

X

rio-



rriori sapius demonstraverant. Pro illa enim & supplicaverat Bellarminus, & institerat Gregorius de Valentia, nimia reportandæ victoriæ fiducia tumidus. Hæbit nihilominus aliquandiu Sanctissimus Pontifex, an & novum examen edicere, & solemnes Disputationes aperire deberet, ex quibus non levia subortura incommoda, præsentiebat. Divinam opem affiduis orationibus, ac jejuniis efflagitavit; dies aliquot in secessu fundendis precibus egit; piæque supplicationes ad septem Urbis Ecclesias habuit, quas nudis etiam pedibus, summo mane, ac subdubia luce, ingredi visus est. Post sacras illas, ac religiosas provisiones, Sanctissimo Pontifice vere dignas, instante Catholici Regis Oratore, rem tandem extremo iudicio finiendam decrevit. Veritatem tamen novo examine limari voluit, cui ipsemet, Arbitrator, ac Iudex afflitteret: nihil scilicet veritatis in suprema totius Orbis procuratore, & ingenium curarum multitudine, Theologicarum disputationum tedium ferre, & sedentariam Actoribus, per plures horas verba facientibus, operam præstare.

Suscceptum consilium Inquisitionis Romanæ Commissario, necnon Prædicatorum Generali primum aperuit, die 21. Januarii 1602. (1) Nec ita post, Societatis Præpositum una cum eodem Prædicatorum Generali vocavit: quibus instituendæ publicæ Disputationis, finiendæque Controversiæ consilium declaravit. Monuit quoque, ut eruditos Theologos pro arbitrio seligerent, qui coram se metipso in disputationis aleam venirent; dubiisque, paulatim scripto communicandis, ac transmittendis, satisfacerent.

Eminentissimos Cardinales, Inquisitores Generales in Universâ Republica Christiana constitutos, secum quinti hujus Examinis arbitros federe, voluit: novosque Censores prioribus addidit, ne Cognitorum paucitatem Jesuitæ prætexerent. Duos etiam Notarios, seu, ut vocant, Secretarios designavit, qui Acta colligerent. Quapropter hoc ordine, ac numero deinceps, convenerunt.

## PRÆSES CONGREGATIONUM.

Clemens VIII. Pontifex Maximus.

## Cardinales.

Camillus Borghesius, Pompejus Arigonius, Dominicus Pinellus, Hieronymus Afculanus, Paulus Æmilius Sfondratius, Franciscus de Avila, Anna Descars de Givry, Ferdinandus Taberna, Anselmus de Monopoli, Innocentius de Bufalo, Jacobus Davy de Perron, Robertus Bellarminus, Laurentius Blanchertus, Antonius Zapata.

## Censores Episcopi.

Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus, Hyberniæ Primas, Lælius Sueffanus, Episcopus Neritonensis, Julius Sanctiutus, Episcopus S. Agathæ Gothorum.

(1) Ex Diar. Pegne. (2) Ex Hisp. Latine datur.

Hippolytus Masserius, Episcopus Montis-Pelufi, Basilius Pignatellus, Episcopus Aquilanus.

## Censores Theologi.

F. Joannes de Rada, Procurator Generalis Ord. S. Francisci, F. Anselmus de Monopoli, Procurator Generalis Capuccinorum, postea S. R. E. Cardinalis, qui supra, F. Joannes Baptista Plumbinus, Procurator Generalis Ord. S. Augustini, F. Hieronymus Palanterius, S. Caroli Borromæi, ac postea Sixti V. Theologus, Ord. S. Francisci, F. Gregorius Nunnus Coronellus, Ord. S. Augustini, primus Congregationis Secretarius, F. Anastasius Brixienfis, Prior S. Pauli extra muros, Ord. S. Benedicti, secundus Congregationis Secretarius, F. Joannes Antonius Bovius, Regens Collegii Carmelitarum, D. Ludovicus de Creil, Doctor Sorbonicus, F. Jacobus le Boffu, Doctor Sorbonicus, Ord. S. Benedicti.

## Spectatores Disputationum.

F. Hieronymus Xaviers, Generalis Ord. Prædicatorum, postea S. R. E. Cardinalis, Claudius Aquaviva, Generalis Societatis.

## Actores contra Molinam.

F. Didacus Alvares, Regens Conventus S. Mariæ super Minervam, postmodum Archiepiscopus Tranensis, & Salpenfis, F. Thomas de Lemos, Magister in Theologia.

## Molina Defensores.

Gregorius de Valentia, Moderator Studiorum Collegii Romani Societatis Jesu, ad Congregationem undecimam usque.

Petrus Arrubal, ad Congregationem trigessimam primam, Ferdinandus Bastida, Joannes de Salas.

Primæ Disputationis argumentum die 14. Februarii ad designatos Censores, Ordinumque Generales transmitti, curavit Pontifici Cubicali Præfectus, duabus hisce propositionibus expressum, sua ut responsa, atque judicia meditentur.

1. Quis majores vires ad bonum Libero Arbitrio tribuat, an S. Augustinus, an Molina?

2. An in libris S. Augustini legatur, Constitutam esse a Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo; ut quoties homo solis natura viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat Gratiam: vel id sit de mente S. Augustini?

Harum propositionum transumptum, susceptive a Summo Pontifice consilii nuntium Regi Catholico dedit Dux de Sessa die 21. Februarii, ut piissimum Principem de hujus Controversiæ Definitione sollicitum exhilararet. Istud vero Rescriptum ab eodem exceptit.

## DUX DE SESSA, ET VAENA, CONSOBRINE.

(2) „ Ex tuis ad nos transmissis Epistolis, sub data 21. Februarii, novi, quid tibi Sanctitas „ Sua respondit, dum ipsi rursus nomine meo pro „ Controversiæ Auxiliorum Definitione supplica- „ sti.

„ sti. Susceptum ab Ea consilium summo opere probavi, quo, ad integram causæ eliquationem, nova dubia ( quorum transumptum transmissisti ) pro futura Congregatione eruditissimis Theologis, ac Censoribus tradi, jussit. Quamquam vero minime dubitem, Sanctitatem Suam ea sollicitudine in istud opus incumbere, quam rei gravitas postulat, Eamque pro Pastoralis dignitatis officio de edenda Definitione omnino deliberasse: cum tamen aperta disseminandi erroris pericula in dies emascantur, ob repugnantes Religioforum Ordinum, & Universitarum opiniones, frequentesque de Divina Gratia concertationes, idcirco iterum moneo, ac jubeo, ut nomine meo quam impense apud Sanctitatem Suam urgeas, ut, auctore Spiritu-Sancto, citius decernat, quid ea in re tenendum, credendumque sit; ne diuturniori diffidio Universitates, & Ordines committantur. Quoadque enim Controversiam hanc consopitam, definitamque videam, irrequieta sollicitudine desatigabor. Quid tibi Sanctitas Sua responderit, quidve perfererit, rescribis sedulo. Datum Vallisbleti die 5. Aprilis 1602. EGO REX.

## Petrus Franqueza.

Interea, festinate disputationis tempore, tentarunt Molina Vindices, num possent secreta quadam machinatione Thomam de Lemos Roma pelere. (1) Fatali scilicet præteritarum rerum usu didicerant, plus sibi ab illo, quam a Didaco Alvareso timendum. Quamquam enim esset uterque longe doctissimus; profundior tamen in Lemosio eruditio, magisque doctæ SS. Augustini, & Thomæ lectio probata fuerat. Ferrea etiam, & infragilis illi vox, formosis robur, pectus solidum, ingenium acre, ac vehemens: qua dotes, cum singulari præsertim eruditione conjunctæ, quantum in contentiosa disputatione valeant, nemo nefcit. Lemosio igitur sacras a Philippo III. Instulas deferri, curarunt, ut illum honoris specie in Hispaniam agerent. At timuit ille Danaos & dona ferentes. Delatam Dignitatem recusavit pari humilitate, ac religione. Quo eximie virtutis facinore pristinæ spe delusi fervidi Actores, nova tentarunt emundationis politica machinamenta. Per suppositos futurones, propensam in Prædicatorum Ordinem voluntatem mentientes, ejusdem Generali Præposito insilliarunt, præsentem Controversiam tanti momenti non esse, cui Viri duo eruditissimi insudarent; plurimamque universo Ordini eruditionis famam accessuram, si de bellandis quibusvis Molina Vindicibus unicum Alvaresium, velut alterum Ismaelem, præfererent, cui hæc ipsa provincia ex Regentis officio alias incumbebat.

Hanc incaute voravit Præpositus Generalis: Thomam de Lemos in Hispaniam reverti, jussit. Paruit vir obediens, tamque parabat iter, ac dato locati equi arthabone vasa colligebat; cum ecclesiæ infero eventu Pontificis jussu detentus est. Ipsius enim eruditionis fama pernotus Clemens VIII. Cardinalem Millinum, in minoribus ea ætate constitutum, a quo imminentem discessum ejus accepterat, ad Ordinis Magistrum direxit, vetans, ne Lemosium abire sineret, ejus in publicis Disputationibus audiendi desiderio fervebat. (2)

Substitit igitur Lemosium secundum Pontificis jussa, totumque pene solemni Disputationum, sub Clemente VIII. & Paulo V. habitatum, pondus sustinuit. Ejus enim loco semel duxerat, &

Serry Tom. I.

(1) Ex Epist. Leonis de Lecce ad D. Marg. (2) Marques. in Diario Domin. a 1 diem 23. Augusti. (3) In 1. & 43. Congreg. (4) Ex Actis Coronelli.

iterum, (3) infirmitatis occasione, suffocatus est Didacus Alvares, eique aliquandiu socius adjunctus fuit, quo tempore Magister Ordinis Regni Neapolitani visitationem obiturus, Roma secesserat.

Die 19. Martii in diem crastinam indicta est prima Congregatio. Quid in ea, cæterisve tractatum, gestumque sit, capite septimo, ac deinceps, ex Secretariis fide referemus.

## CAPUT II.

Inceptas coram Clemente VIII. Disputationes speciosis diverticulis effugere, ac declinare nituntur Molina Vindices.

Cæpit ex ipsa prima hujus Examinis disputatione tergiversandi occasio suboriri. (4) Dedit ansam disputationis argumentum, a Clemente VIII. propositum: Quis Majoris vires ad bonum Libero arbitrio tribuat, an S. Augustinus, an Molina? Cum enim latus per se pateret, nullamque speciatim difficultatem attingeret, Controversiam distinctius definire, necesse fuit, ne in futuris disputationibus inutiliter certaretur. Provinciam hanc Congregationis Notarius demandavit Sanctissimus Pontifex: præcipuas ex multis Molina propositionibus colligi jussit, in quibus majores libero arbitrio vires tribuere videretur, quam re ipsa tribuerit Augustinus.

Novem inter tot alias selegunt illi, ubi Molina contra S. Augustini mentem libero arbitrio plus æquo tribuisset, atque de lege conferendi gratiam præpostere sensisse, videbatur: quas Clementi VIII. die Martii 22. exhibere. Has ubi legit Beatissimus Pater, noluit pro publicæ disputationis argumento antea proponi, quam mutuo Jesuitarum assensu, & arbitrio, rursus a Secretariis cum Molina contextu conferentur, ne forte inter disputandum quæstio facti suboriretur. Num integra fide ex Auctore petite essent.

Jocus hic mimicus, & scurrilis fuit. Societatis Præpositum adierunt Secretarii, propositiones, ex Molina petitas, cum ejusdem contextu, eo præsentem, collaturi. Eos ille ad colloquium admittere noluit, donec Gregorius de Valentia, domo absentem, advocasset. Is vero post diturnam sui expectationem subingressus: mirum quod effugia tentarit, ut Pontificiæ mandata effugerent. Quibus tandem interclusis, ac superatis, alienis se negotiis evocarum finxit Generalis, & abscessit. Generalem suum, relicto Secretariis, secutus est Gregorius de Valentia, ad quos post elapsam horam reversus, collationem illam in aliud tempus differri, precabatur; quod non nisi præmissa materia consultatione perfici posset. Responderunt, nihil difficultatis esse in conferendo propositionum transumpto cum ipso Molina contextu. Nihil ad hæc Gregorius. At, urgentibus Secretariis, ut effugis, studiosisque dilationibus modum ponerens, nescio quis cubiculum subiens, Gregorium de Valentia a Generali sub desideratum nuntiavit. Gratulum nuntium latus excepit, & abijt; relicto ea in cella Notariis, qui se tam levida scena ludi, plus satis obitupecebant. Sustinuerunt nihilominus horam alteram; qua demum elapsa, Valentiam per interpositam personam monuerunt se pro impositi officii parte plus nimis expectasse, jamque discedere velle. Reposuit ejus vice Præpositus Generalis, Gregorium de Valentia propositiones, ex Molina petitas, eo modo, & ordine disponere velle, quem congruam judicaret.

X 2. ac



ac properea rem in diem alteram remittendam esse.

Responsum indigne rulerunt Secretarii; eaque potissimum ratione, quod per interpositos nuntios de rebus palam ageret, quas sub silentio pertractandas, Sanctissimus iusserat. Verum, cum erumpentem indignationis sensum satis aperte prodidissent, accessit de Valentia, ut suæ, Præpositi- que Generalis inobedientiæ veniam peteret. Tum hoc scriptum, debita juris forma propria sub- scriptione munitum, iisdem reliquit. *Quoniam Pa- tres Secretarii de ordine Sanctissimi D. N. nobis no- vum aliquam rem proposuerunt: videlicet ut propo- sitionibus, ante mensum datis, & conferendis cum doctrina S. Augustini, addeveremus, quæ nobis place- rent, & iudicaremus spectare ad Molinæ defen- sionem; nos existimantes, hoc postulare diligentem in- dagationem, & maturam consultationem; petimus, ut nobis aliquod temporis spatium concedatur.*

Auxit Secretariorum indignationem scripti pe- tulantia: Non est hoc, inquit, quod a vobis postulamus; sed ut velitis conferre, nobis presen- tibus, propositiones, quas vobis scriptas consignavimus, cum codice Molinæ: ut si quod verbum intermissum fuerit, addatur; ne contra Sanctissimo D. N. dis- putandum sit, an ita, vel aliter Molinæ suam propo- siverit sententiam. Insisterunt etiam, ut secundum Pontificis iussa res cito conficeretur; sed frustra; id quippe unum extendi potuit; ut Collationem illam sequenti die se curaturos, pollicerentur. At fecellit eos dolosa promissio. Illis quippe Gregorium de Valentia crasti- na luce advenitibus, ut iuxta promissorum fi- dem collationi magno collaborarent, occurrit idem ille, institutumque alio divertens, Ego (inquit) non parum insudavi in ordinandis istis propositioni- bus, nobis alias a vobis exhibitis; consensus enim, multa esse addenda, alia etiam omittenda, ut sen- sus Molinæ fiat planus. Subriterunt ad hæc Secretarii. Non erat, responderunt, Reverende Pa- ter, quod hunc laborem subires; cum nos a vobis nihil aliud postulaverimus, quam ut dignaremini nobis- cum inspicere, an fideliter ex codice Molinæ fuerim transumptæ, nec ne; sumus enim parati ad corrigend- um, quicquid erratum fuisse videbitur. Nihil hæc Valentiam a proposito dimoverunt: sed dato, ac lecto scripto quodam, in quo multa contra Mo- linæ mentem, & extra ejusdem institutum habe- bantur: Hoc est, inquit, iudicium nostrum de præ- dictis propositionibus, quod ad factum attinet.

Omni igitur rei consicienda spe deposita, Pon- tificem consulere necesse fuit, quid factum esset opus. Is Patrum Societatis scriptum, eaque omnia, quæ vel addi, vel detrahi Molinæ propositionibus pos- tularant, serio perpendit: omnique posthabita mu- tilatione, vel additione, iussit, Molinæ assertio- nes proponi nudas, ac simplicibus verbis Aucto- ris: Patribus tamen Societatis liberum fecit, ea in publicis Congregationibus adducere, quæ ad il- larum vindicias conducere viderentur. Addidit San- ctissimus Pater, addendos esse Prædicatores, ac Jesuitas, ut sum de præfatis Molinæ propo- sitionibus, earumque cum S. Augustino consonantia, vel dissonantia, iudicium scripto darent, ante- quam proxima disputatio haberetur. Mandatum sub his verbis utrique parti denuntiatum est: *Patri- bus Generalibus Ordinis Prædicatorum, & Socie- tatis Jesu, de ordine expresso Sanctissimi D. N. Pa- pæ, Clementis VIII. ut sequentes propositiones Molinæ consenserant cum doctrina S. Augustini; & scriptis con- signent loca omnia ejusdem Doctoris, ex quibus illas vel impugnari, vel defendi posse, putabunt.*

Novas hic circulationes, & artes mirari fuit

Inducias ad deliberandum rogavit Societatis Gene- ralis: quibus elapsis, Secretario, responsum postu- lanti, reposuit Gregorius de Valentia, rem esse gravem, ac difficilem, quam non ante aggressu- rus esset, quam ad Sanctitatem Suam scripsisset. Ac re vera sequens Epistolam ei in manus tra- dendum curavit altera.

BEATISSIME PATER,

(1) „ Ex R. P. Priore S. Pauli, & postea ex „ nostro Patre Generali, qui idem mihi retulit, „ intellexi, velle Sanctitatem Vestram, ut, an- „ tequam ad aliam disputationem de Molinæ li- „ bro deveniatur, mittamus citata loca S. Augu- „ stini. Qua in re cum magnum habeamus fun- „ damentum dubitandi, quoniam modo velit San- „ ctitas Vestra, id a nobis fieri propter aliqua, „ quæ circa hoc nobis occurrunt, & quæ puta- „ mus Sanctitatem Vestram benigne audiretur; „ humiliter supplico Vestræ Sanctitati, ut digne- „ tur me solita benignitate de hoc audire. San- „ ctitatis Vestræ humillimus servus.

GREGORIUS DE VALENTIA.

Epistolam die 28. Aprilis recepit, ac legit Bea- tissimus Pater eo ipso tempore, quo Secretarii Congregationis Sanctitatem Suam adierat, cum ut Societatis dilationes, ac strophas referrent, tum ut traditum sibi a Patribus Prædicatoribus scri- ptum in manus deponerent, qui iussis Pontificis diligenter obsecuti, S. Augustini sententias, Mo- linæ propositionibus oppositas, attulerant. Ex ip- sa hujus Epistolæ lectione novit Pontifex studio- sum procrastinandi consilium. Quapropter Valen- tiam ad rogatam audientiam admitti noluit, sed propria manu rescriptit in hunc modum.

(2) *Volumus scire, quibus in locis S. Augu- stini reperiantur propositiones, extractæ ex libro Mo- line. Nobis autem satis nunc erit, si cidentur libri, vel tractatus S. Augustini, & eorum capita. Quod enim ex illis inferre volueritis, postea, nobis presen- tibus, circa voce explicabitis. Neque rursus ad hæc replicetis; sed persente, quæ scripsimus.*

CLEMENS PAPA VIII.

Demissis auribus mandatum excepit Gregorius de Valentia; ac licet nihil ultra in oppositum missitaverit, nonnisi tamen post mensem elapsum quaeritis satisfacit. Die igitur Maii vigesima quin- ta Clementis VIII. scriptum obtulit, quo Augu- stini testimonia, Molinianis propositionibus, ut putabat, adveniant, indignabat. Mira arte com- positum erat opus, ut Pontificem, quem affecta- tis dilationibus flectere nequiverant, importuno studio defatigaret. Trecenta quippe, & eo am- plius S. Augustini loca legenda, ac consulenda subindicabant, tacitis omnino verbis, capitibus, que duntaxat nude indigitatis: *Expendantur, in- quiebant, S. Augustini loca libro tali, capite tali, a verbis autem proferendis penitus abstinebant; sic ut in iis conquirendis plus temporis infunden- dum esset, quam in iisdem cum doctrina Molinæ conferendis.*

Laborem nihilominus non detestavit Clemens VIII. Spiritum illum S. Augustini locorum indi- cem per sese quam diligentissime consulit, & ex- pendit; ex quibus nequidem unum se reperisse, qui Molinæ patrocinaretur, in solemnem postea Con- gregationem testatus est. Eundem Consultoribus exa- minandum tradi voluit die 8. Junii; ut, re ma- turius inspecta, in futuris Congregationibus de Mo- linæ doctrina iudicium ferrent.

Cæterum quod Jesuitæ potissimum instituerant, hu-

iusmodi artibus obtinuerunt, examinis scilicet lationem: a prima quippe ad alteram Congre- gationem quatuor pene menses effluerunt. Nec amen Pontifex a definiendi proposito deterreba- tur; quin potius maturiori rerum usu Pontificii iudicii necessitatem expertus, publicas in Urbe applicationes indixit mense Julio, dum intermis- sas Molinisticis strophis Congregationes resump- sit: ut quo tempore controversiarum examini incum- lebat, Divinum lumen, proferendo iudicio, coe- h devocaret.

C A P U T III.

*Novos Jesuitæ Hispani favores emendicant, ut Mo- linianæ doctrinæ auctoritatem concilient, ejusque causam apud S. Pontificem jurari curent.*

Um Romæ trahendis moris incumbere Mol- liaz Viadices, nihil in Hispania non mo- veant, ut doctrinam ejus tum Potentum gratia, tum Academicarum patrocinio promoverent. (1) Franciscum Sanctum conduxerunt, qui ipsius de Prædicatione opiniones in Academia Vallisole- tana publice defenderet. Sua ille Societati officia non negavit: Thefes Theologicas die 9. Januarii propagandas proposuit, quas, ementita nuncupa- tione, sub Excellentissimi Ducis de Lerma, Sup- remi Hispaniarum Administræ, nomine, ac pa- trocinio vulgavit. Primariæ quoque Nobilitatis Viri, Religiosorumque Ordinum Professores invi- tati sunt; textilibus picturis ordinata Aula; cin- cti militum agminibus aditus, ne quid deesset Mo- linianis Triumphis.

Verum infaulto eventu perturbata solemnitas est. Thefes sub falso nominis sui patrocinio tum ty- pis editas, immo etiam distributas audivit Dux de Lerma, de quibus antea nihil vel per somnium acceperat. Novum fraudulenta urbanitatis genus iniquo tulit animo; datique Castellæ Præsidi man- datis, per submissos apparitores publicam The- sium celebrationem interdicti, iussit. Earum quo- que transcriptionem, admittæque fraudis instrumen- tum Romam transmisit, ut inde dignoscerent uni- versi, quanta fecum mala ferret Definitionis Apo- stolice dilatio.

Non minori contentione hoc anno 1602. in- sudarunt Molinæ Vindices, ut ejusdem novitates in Academiam Salmanticensem inducerent. Occasio- nem ex proveda Dominici Banneii ætate arripue- runt. Nascentem, aduſumque Molinismum tum publicis disputationibus, tum editis in D. Tho- mam Commentariis, exagitaverat Vir eruditus, eumque a florentissima Academia, in qua sin- gulari pollebat auctoritate, procul arcuerat. Au- xerat eruditionis famam sanctitatis opinio, qua S. Theresiæ affectum adeo occupaverat, ut eum Seraphica Virgo non modo ad Confessiones as- sumperit, sed & spiritali (sicut ipsa loquitur) incantamento, nihil nisi quod ille probaret, ac vellet, velle ipsa, atque probare ullatenus posset. (2) Hinc orta Molinianæ Doctrinæ jactura non le- vis, quam tandem, fenescente Banneio, re- sarcire Societas studuit. Tunc igitur in spem no- vam erecti, alterum primariæ ejus Cathedræ suf- ficiendum aggressi sunt, qui singulari in Molinam affectu ductus, doctrinam ejus in Academiam paula- tim induceret. In id omnem operam concordi consilio contulerunt. Studentes, quibus ex Aca- demia legibus jus electionis assertum est, spe- bus alere, lactare promissis, artibus inescare;

ut secundum Societatis studia suffragium fer- rent.

Romam pervasit tentatæ machinationis rumor: statimque per Epistolam, ad Hispaniarum Inqui- sitionis Tribunal transmissas, provium fuit, ne, interveniente Banneii obitu, imprudenti Juventi committeretur electio: sed, attenta necessitate temporum, de Viro Thomistica doctrinæ studio provideretur, Auctoritate Regia. Quamquam tamen adeo præsentis remedio non fuit opus, quo elisa Societatis consilia evanescerent; quippe cum diu Banneius supervixerit, suamque ad extre- mum usque diem Cathedram Academicam occu- paverit.

Fæliciores exitum non obtinuit altera sub idem tempus in Hispaniensi Universitate tentata pericli- tatio. Commendatias ad Clementem VIII. Epi- stolas a sex hujusce Academicæ Theologis obtine- runt; (3) quibus præmissa Molinianæ doctrinæ commendatione, Summum Pontificem enixe pre- cabantur, ut a ferenda in eam sententia tempera- ret, donec ipsorum de ejus orthodoxia, atque in- tegritate judicium exceperisset. Cum vero, inque- „ bant, (4) ab ista Sede nihil non solidum, ni- „ hil non verum, non modo constanter decerni, „ sed neque tenuiter judicari possit; illud a Ve- „ stra Sanctitate summis precibus efflagitamus, ut, „ antequam ad hujus controversiæ iudicium feren- „ dum accedat, velit hujus Universitatis, & Theo- „ logiæ Professorum sententias, & si opus etiam „ videbitur, peculiarem hujus libri, & omnium „ in illo contentorum defensionem, magno stu- „ dio, & labore perfectam audire, istis incorrup- „ tissimis auribus non indignam: quam, cum pri- „ mum Vestra Sanctitas annuerit, in Urbem tran- „ smittendam curabimus. Enim vero ad rei Theo- „ logicæ, immo & ad Fidei veritatem decerne- „ dam, quod tanti negotii est, non ignobile fuerit „ plurimorum, atque nostrorum Theologorum, „ veritatis omnino amantium, placita audisse, „ rationum momenta examinasse; ipsi vero con- „ troversiam honorificam; tandem non ingratum, „ ut speramus, Sanctitati Vestræ; cujus verissi- „ mum iudicium nunquam falleret, nunquam fal- „ let, fallere, falli nunquam poterit.

Intempestivas supplicationes nihil fecit Sanctis- simus Pontifex. Lepidum quippe fuisset, Roma- norum Cognitorum iudicia, quadriennio, & am- plius elaborata, ob emendicatam ignorantum Theo- logorum commendationem, in irritum mittere. Quapropter ne responsione quidem eos dignari vol- uit: cum præsertim post susceptam ab illis Mo- linianæ doctrinæ defensionem, eorum, non minus, quam Molinæ res ageretur, & causa.

Non defuere nihilominus, qui imprudens illud privatorum Theologorum studium cohibendum ju- dicarint; ne in Hispania saltem Molinismo vires adderet, iisque forte sicum faceret, qui in hisce controversiis minus æquo versati essent. Egregium opus eo sine adornavit Thomas de Lemos, quo missis prolixioribus disputationibus, ex mutua dun- taxat principiorum, & assertionum collatione, in- titim Semipelagianorum, & Molinistarum conso- nantiam demonstrabat. (5) Ad supremam Inqui- sitionem Hispaniensem die 20. Februarii tranliti- sum est, Episcopis, & Academicis communican- dum. Respondit dignitati operis fructus uberri- mus; multi enim pristinis opinionibus abducti, tanto Molinismum ardore insectari cœpere, quan- to ei in antecessum fuerant patronati. Uni So- cietati stomacho fuit; quæ jacturam illam eo gra- viori animo tulit, quod ipsi tunc temporis acci- disse,

(1) Ex Epist. Garcia Guer. (2) S. Thér. in Epist. ad P. Bannei. (3) Exstat in Bib. Aug. (4) Epist. Theo- logorum Acad. Hisp. 1. ad Cleo. VIII. (5) Exstat in Collec. Lemsi.

(1) Epistola Valentiæ ad Clementem VIII. (2) Rescriptum Clementis ad Valentiam.



dijset, cum Cardinalem Bellarminum, potentissimum Moliniana causa patronum, Roma discedentem iugeret. Is enim Capuanus Archiepiscopus renunciatus die 22. Aprilis, nullis Sociorum precibus detineri potuit, quin in creditam sibi Dicecesim fedulo pergeret: ratus scilicet, Pastoralis officii leges quibusvis amicitia titulis proponendas.

Præcipuam illam Bellarmini discessum, non religiose implendi officii voluntati, sed tacite quorundam industria tribuit Marrines de Ripalda: (1) tanquam eam, repugnante Societate, in Dicecessa remotissimam consulo egisset Clemens VIII., ne sua deinceps Moliniana Causa officia impenderet. Quasi vero tam indignam corrivationem de Sanctissimo Pontifice suspitari liceat; aut ea ipse egisset auctoria, si malo in Societatem fuisset animo? Verum ea est Ripalda indoles, ut pro ingenua criminandi libidine, suos etiam malit virtutis merito defraudate, quam ab exterorum accusationibus temperare. Interea Ciaconium de sui Bellarmini discessu differentem audiat; eumque non in Dicecesim ex industria missum, sed sponte sua, atque ipso etiam Pontifice demirante, profectum adducit: Capuanus Archiepiscopus, inquit Ciaconius, a Pontifice renunciatus, creatusque; accepto pallio post paucos dies Pontifice, & Aula demirante, Roma, ad tradendam Ecclesiam excolendam, Capuam discessit. Audiat & Fuligatum concellitatum, qui hanc ipsam fabulam de Bellarmino, honoris specie Roma pulso, ab inficetis dumtaxat consiliis scrutatoribus vulgata, & creditam dicit; qui audaciori, & maligna sagacitate Aula arcana rimarentur, ac in ipsum Pontificis sacramentum irumperent, ut ex levi specie monstrâ fingerent; ob id scilicet unam, quod Bellarminum ob nimiam dicendi libertatem, ardentiusque Moliniana causa tuenda studium ab optimi Pontificis gratia excidisse, rumor esset. Libertas hec, inquit ille Lib. 3. de Vita Bellar. Cap. ult. sententiâ adversum ea, que Pontificis prima erant, fuit aliquibus occasio interpretandi, Bellarminum ex eo tempore speciem magis in amicitia Pontificis, quam vim tenuisse; nec potuit esse, sicut prius, æquabili apud ipsum gratia: crevitque rumor in Aula, (que est immanis offensionibus nimis interdum sagax) cum viderent non multo post, eum Capuæ Archiepiscopum renunciatum; & Roma emigrare; tanquam, Pontificis abalienata mente, discederet, amoreturque de industria, ne promoveret, qua sentiret.

## CAPUT IV.

Guillelmum, Estium, Regium in Academia Duacensi Professore, de variis Moliniana Doctrina capitibus consulunt Romani Censores.

Instituto igitur quinto causa hujus examine, post eisa Societatis consilia, superiori capite enarrata, diligentiore operi maum admoventur deputati Censores; virorumque eruditorum judicia de controversis quaestionibus quaesire.

Florebat ea ætate in Academia Duacensi Guillelmus Estius, singularis eruditionis, ac pietatis fama spectatissimus, qui ab exortis in Belgio diffusis multa de controversis quaestionibus, publicis in Scholis habuerat. Fecit tanti viri nomen, ut non eius dumtaxat iudicium de Moliniana doctrina rescire, verum & ipsius hoc de argumento dictata scripta in Urbem transmitti, desiderarent Romani Cognitores. Provinciam illam in se suscepit Archiepiscopus Armachanus, cui Vir maximus archa necessitudine conjungus erat. Dedit ad ipsum Epistolam initio mensis Aprilis, quibus sua,

& Collegarum vota significabat. Rescripsit ille die decimona Maii, suamque, ac totius Academiae Duacensis de Molinæ doctrina sententiam paucis aperuit, donec ex ipsius scriptorum lectione plenius innotesceret. Rescriptum porro hujusmodi fuit,

ILLUSTRISIME, AC REV. DOMINE.

(2) Ex quo tempore Divina bonitati placuit, Rev. Dominationem Vestram ad istam Divinitatem assumere, & cum Principibus populis sui collocare, sæpe volui, ut sane debui, per litteras Dominationi Vestra gratulari. Sed quod ab anno superiore continui rumores adferrentur de tuo adventu in has partes, differendum putavi gratulationis officium in id tempus, quo huc pervenisses. Nunc vero, litteris ab Reverendissima Dominatione Vestra acceptis, ex quibus eam intelligi Romæ a Sua Sanctitate detineri, vehementer gavifus sum oblatam mihi occasionem, quæ debito meo satisfacere. Gratulor igitur ex animo Dominationi Vestra, quam ad eum gradum in Ecclesia sua Dominus exiit, in quo quamplurimis posse prodesse. Gaudet & Hibernia vestra, quod eam benignioribus oculis Divina Clementia respexit, quando Reverendissimam Dominationem Vestram illi Regno in Ecclesiastica gubernatione præfecit. Idem Dominus supplicibus votis orandus nobis est, ut, quod cœpit, perficiat, nostramque, ac provinciam expectationem, de Vobis, ac patria vestra conceptam, adimpleat.

Quod scribit Vestra Rev. Dominatio, Suam Sanctitatem nunc id agere, ut doctrina P. Ludovici Molinæ, quam tradit in sua Concordia, examinetur, utque Contröversia, quæ ejus libri occasione fuerunt exorta, terminetur, gaudeo, rem illam, quæ profecto maximi in Christiana Religione momenti est, SS. Domino Nostro corde esse; & precor, ut Deus per Spiritum Suum mentem ejus illuminet, & iuxta Christi Filii sui promissionem in omnem inducat veritatem.

Quoniam vero Rev. Dominatio Vestra cupit, sibi submitti quædam scripta mea, ad hujusmodi contröversias spectantia, quavis sciam, quam exiguum sit, quod in eo genere tenuitas mea præstare potest, parvi tamen lubens, ut qui malim, operam meam in juvando tanto Ecclesiæ bono supervacaneam inveniri, quam partem ejus aliquam desiderari. Mitto igitur ea, quæ in 2. Sententiarum tractavi de dogmate, a Patribus definitum, Gratiam non secundum merita nostra dari. Ex quibus puto, manifeste posse intelligi, quam sit alienum a Doctrina, & mente S. Augustini, constitutum esse a Deo legem infallibilem, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat Gratiam. Mitto & quæ in eundem librum Sententiarum post multa alia, ad materiam de Gratia pertinentia, tractavi de efficacia Gratia Dei: ubi multis rationibus, quas ante sex annos ex Scriptura, & Patribus collegi, Deo dante, ostendere conatus sum, in quo efficacia Gratia Dei consistat. Ex quibus item clare conspicitur, quantum a Scripturis, & sensu Sanctorum Patrum aberrent quidam hujus temporis Scriptores, in explicanda vera ratione efficacia Gratia Dei, ac nominatim Ludovicus Molinæ in sua Concordia: Qui Libet, ex quo prodit, novitate doctrinæ virorum eruditissimos offendit, & Ecclesiam turbavit.

„Cer-

„Certe scio, neminem esse Professore Theologiae hujus Universitatis, cui non illius Libri doctrina summopere duplicet. Si quid præterea Scriptorum meorum ad se mitti cupiat Rev. Dominatio Vestra, gratum fecerit, si id mihi significet, & per omnia obsequentem me habebit. Mitto elenchum capitum, seu questionum, quas tractavi, pertinentes aliquo modo ad rem præsentem, ut si quid in iis sit, quod vobis subservire possit, Dominationi Vestra designet, & mitti ad se jubeat. Christus Dominationem Vestram Ecclesiæ Suae multis annis incolumem conservet. Duaci 19. Maii 1602.

Ill. & Rev. Dominationis Vestrae servus in Christo GUILLELMUS ESTIUS.

Suam idem ipse mentem explicatius aperuit, transmissis paulo post quadraginta momentis, ex Divinis Scripturis, Conciliis, ac Patribus summa eruditione petitis, ad intrinsecam Divinae Gratia efficaciam demonstrandam: quæ totidem suis ipse in Magistrum Sententiarum Commentariis inseruit; suaque fecit Thomas de Lemos Tomo 4. lib. 4. part. 2. tract. 4. cap. 38. Quæ occasione istam ad eundem Ill. Armachanum Epistolam dedit, unde ipsius de fuscitatis contröversis iudicium colligere liceat.

ILLUSTRISIME, AC REV. DOMINE.

(1) Ante duas fere Hebdomadas misi D. Micantio, Canonico Tornacensi, falciculum quorundam scriptorum meorum; ut ejus opera, quam humaniter obtulerat, ad Rev. Dominationem Vestram mitteretur. Quod etsi confidam ab eo diligenter factum; quia tamen talia contingit tardius perferri, putavi, his litteris fortasse celerioribus id significandum. Alia quoque, & potior mihi ratio scribendi fuit, quod ante paucos dies a quodam vestrate mihi exhibitum fuerit Articuli sequentes, Roma missi, ut dicebat, & istic jussu Suae Sanctitatis examinandi. 1. In quo consistat efficacia Gratia Dei, ut distinguitur Gratia efficax ab inefficaci? 2. Utrum ex duobus, habentibus æqualem gratiam, fieri possit, ut unus assentiat, alter vero non? 3. Utrum detur omnibus gratia sufficiens? 4. An omnibus, quantum est in se, constantibus per sua naturalia, lege infallibili Deus det Auxilia supernaturalia? 5. Utrum Prædestinati ante prævisa merita eligantur ad gloriam? 6. De intellectu Capitis 9. ad Romanos de Jacobo, & Esau. Quod ad hos articulos attinet, de Primo, & Quarto tractant scripta, quæ misi. De Quinto tractavi in 1. Sentent. ac de eodem doctè admodum agit Justificatio Lovaniensis. De Sexto tractavi in Commentario illius Epistolæ. Secundus, & Tertius Articuli, de quibus & ipse multa annotavi, pendet ex Primo, in quo velut cardo est totius Contröversia. Ideoque mihi potissimum fuit, ut veram rationem, in qua efficacia Gratia Dei consistat, copiose, & quantum arbitror, solidissime, Deo donante, ex Scripturis, & Patribus explicarem. Quod scriptum meum ut Reverendissima pietas tua dignetur accurate, & attente perlegere, & si opera pretium videbitur, etiam aliis legendum communicare, vehementer cupio, non aliam ob causam, quam ut veritas Catholica de potenti operatione Gratia per Christum clarius eluceat. Non dubito, quin satis persuasum sit Suae Sanctitati, in his de Gratia Dei contröversis eos in primis audientes, qui in oppugnanda Hæresi Pelagiana præ-

„cipui quondam existerunt, Augustinum, Prosperum, Fulgentium; & firmissime tenenda, quæ Cælestinus Papa decrevit in Epistola ad Episcopos Gallia, & quæ Leo Pontifex in Arausicano Concilio statuenda præscripsit; denique inter Scholasticos præcipue audiendum S. Thomam. Sunt, qui rem tanti momenti esse putent, ut super ea merito peterent sententia Theologorum ex celebrioribus Academicis: sed non est nostrum suggerere consilium Suae Sanctitati. Gratum erit, si responsum mereat Rev. Dominationis Vestra, cui etiam ex tunc, & deinceps omne meum obsequium devotus offero. Christus Dominus eandem Reverendissimam Dominationem Vestram gratia suæ donis magis, magisque locupletet. Duaci 28. Maii 1602.

Ill. ac Reverendissimæ Dominationis Vestrae servus in Christo GUILLELMUS ESTIUS.

Tertiam addidit Epistolam, prioribus non abfimilem, die 26. Junii; quæ, missis novis lucubrationibus de gratuita Prædestinationum electione, deque Divina Gratia cum humana libertate concordia, intimum adversus oculos Gratia Christi impugnatorens sensum demonstrabat.

(2) Cum post litteras meas, ad Rev. Dominationem Vestram postremo datas, intellexissem, etiam has duas quaestiones jussu Suae Sanctitatis istic agitari: Quomodo concilianda sit Gratia cum Libero Arbitrio; & Utrum Prædestinati ante prævisa merita eligantur ad Gloriam; exitimavi, me plenius satisfactionum voluntati vestrae, si etiam de iis quaestionibus ea, quæ aliquando publice docui, & dictavi, submitterem: non quod mea tanti sint, sed ut studium meum erga R. D. V., id a me exitimarem, atque in primis erga Christi Ecclesiam, quam doleo quorundam disputacionibus parum sinceris turbari, propensius ostendam. Spero, & confido, Divina Providentia id agendam præter opinionem Rev. Vestra Romæ detineatur, ut per eam vetus, & orthodoxa doctrina Ecclesiæ de Gratia Christi contra occultos ejus adversarios apud Suam Sanctitatem defendatur. Det ille fortitudinem, & constantiam in tuenda veritate Doctrinæ suæ, & jus causa agitur, Christus Dominus, idemque totius nostræ salutis Auctor, quem Reverendissima Dominationi precor semper benignum, ac propitium, Duaci 26. Junii 1602. Ill. & R. D. V. servus in Christo.

GUILLELMUS ESTIUS.

## CAPUT V.

Gregorius de Valentia S. Augustini contextum in solemni Disputatione turpiter adulterat. Quæ de re a Clemente VIII. graviter oburgatus, præ nimio pudore, mentis vertigine capitur, nec multo post animam agit. Hujus Historie veritas adversus fabulatores vindicatur.

Incaluerunt solemnes eorum Pontifice Disputationes, quo tempore Guillelmi Estii lucubrationes in Urbem allatae sunt. Oclies jam in aleam venerat Gregorius de Valentia, S. Augustini, ac Molinæ consonantiam circa Liberi Arbitrii vires ostensurus. Res illi satis infeliciter cesserat, quippe qui toties Censuram iudicio damnatus fuerat. Verum pejore adhuc loco res fuit, ubi ad nonam disputationem (3) in undecima Sessione ventum est die 30. Septembris 1602., cœpitque agitari contröversia: An in libris S. Augustini

1) Disp. 113. sec. 13. (2) Estii Epistola ad Archiepiscopum Armachanum.

(1) Altera Estii Epistola ad Archiepiscopum Armachanum. (2) Tertia Estii Epist. ad Archiep. Armachanum. (3) Infra Cap. 15.



ptus in terram corruerat. Inde eductus semper male se habuit, & frequentibus capitis debilitatibus laboravit, & sub fine mensis Januarii 1603. Neapolim se contulit. Pœnantia verum longo antea tempore vix quidam Catholicus, futurum ut patenti aliquo miraculo Deus hujus hominis audaciam esset cohibiturus.

Hoc ipsum paucis quidem, sed efficacibus verbis attestatur Cardinalis Perronius, cujus testimonium eo lubentiori animo excepturi sunt Patres Societatis, quod illum hac in concertatione, ob instantem Henrici IV. commendationem, Moliniana Cause additum non ignorent. Sic enim ille in Perronianis, titulo de Gratia: (1) In ea de Divinis Auxiliis Disputatione, quo se Jesuita verterent, nesciebant. Valentia, supra mortalium omnium sortem pudore suffusus, hest: eoque demum preconcepto dolore confectus interit. Dicant, amabo, Valentiae Vindices, quis tantus ille, tamque acerbus pudor fuerit, quo & in publica Disputatione suffusus, & præ nimia amaritudine consumptus est?

Affertur Alexander Ziliolus, testis hac in parte locupletissimus, quippe qui tanto in Societate affectu ductus fuit, ut rei gestæ veritatem, quam negare non potuit, suavi condimento, vanisque chimeris temperaverit. Sic porro lib. 3. rerum memorabilium sui temporis, (2) Anno 1603. celebres fuisse Disputationes de Divinis Auxiliis inter Prædicatores, & Jesuitas; que ante annos aliquot inceptæ occasione libri Molinae de Gratia, & Libero Arbitrio, magna tunc animorum contentione, uti recentioribus Theologis familiare est, tradabantur. coram Pontifice Maximo, qui, eas se definire omnino velle, declaraverat; tametsi, rebus postmodum maturius expensis, pro neutra parte pronuntiaverit, relicta disputantibus suis, ut ante, opiniones tutandi ventis: quanquam tamen communitis opinio foret, eum in Dominicanorum potius, quam Jesuitarum sententiam propendisse, non tam ob majorem ejus cum Theologiae Scholasticae principis consensionem, quam ob Gregorii de Valentia Jesuitæ Hispani percelebris instantum eventum, qui cum inter disputandum falsari S. Augustini testimonii contentus esset, pudore suffusus, intimoque dolore tactus, ad pedes Pontificis in apoplexiam incidit. Quod est minus mirari liceat, cum etiam Diodorus Cronus, Dialecticus, in ipso scholæ suggestu præ pudore interiret, quod Stilponis Problema solvere nescisset; ab Adversariis tamen in sua doctrinæ commendationem instar miraculi factum erat. Verum Paulus V., Clementis successor, veruit, ne Theologi ipsi de suscitatis Controversiis publice disputarent. Non is ego sim, qui cum Ziliolo contendere velim, miraculose, an secundum naturam Valentia casus acciderit. Duo hæc mihi abunde sufficiunt: Augustini contextum ab illo studiose viriatum esse, eumque præ nimio pudore in solemnibus Disputatione concidisse.

Cæterum totum id, si liberit, natura dabo; ut contumelia impatiens, brevi mœre citra mi-

(1) Dans cette dispute de *Auxiliis*, tous les Jésuites ne faisoient, où ils en étoient. Valentia demeure le plus honteux homme du monde. & le plus confus: il en mourut de déplaisir. (2) Del anno 1603. furono notabili le disputazioni fra Domenicani, e Gesuiti circa i divini ajuti, le quali incominciate qualche anno avanti con l'occasione del libro scritto da Ludovico Molina Gesuita in materia della Gratia, e del libero Arbitrio, si trattavano allora conforme allo stile di Teologi moderni, con ostinate contese, dinanzi al Pontefice medesimo; che si era dichiarato di volerlo a quella volta definitivamente decidere: ancorchè poi, considerate meglio le cose, non facefle dichiarazione nè per una, nè per l'altra parte, lasciando i disputanti, e gl'altri nelle opinioni di prima: Benchè da molti si credesse, che inclinasse piuttosto all'opinione de' Domenicani, che a quella de' Gesuiti, non tanto per pareri più conformi a i termini della Teologia scolastica, quanto per l'accidente occorso a Gregorio de Valenza famoso Gesuita Spagnuolo; il quale convinto in disputando d'aver malamente citato un passo di S. Agostino, era da vergogna, e da dolore caduto apoplectico dinanzi a suoi piedi. Il che dagli avversarii (cosa però di non tanta meraviglia; poichè Diodoro Crono Dialectico morì in Cattedra da sdegno, di non poter risolvere il problema de Stilpione) era stato attribuito a miracolo, in favore dell'opinione loro. Ma Paolo V., successore di Clemente, ordinò poi, che di questa materia non si dovesse più disputare in pubblico, e ne anco dagli stessi Teologi.

raculum contabuerit: quod nedum Diodoro Crono, Dialectico, verum etiam Homero, ingeniorum Principi, contigisse, haud obscure Scriptores prædicere. Hunc etenim pari forte mœre confectum, ajunt, quod jocofum piscatorum ænigma solvere nescivisset. Scilicet in littore, cum mare turbatum ferias daret, novæ capturæ intenti piscatores, ferdentium tunicarum rugis animalcula quærebant, quæ reperire nollent, visoque Homero, per ludibrium, tanquam de tripodè, sententiam explorarunt. Nodus tanto vindice dignus hic erat. Quos cepimus, non habemus; quos non cepimus, habemus. Quem nexum cum expedire non posset Vatum maximus, ingenti pudore suffusus brevi contabuit. Ita plane Valentia casum secundum naturam accidisse, Ziliolo dabo; nec eruditum Theologum irato Numine male multatum obtendam; modo (quod hic unum in animo est) facti fides in tuto sit.

Verum quid alienis egemus testibus; cum illam ipsam confessionem ab iis etiam Jesuitis vis veritatis extorserit, qui istarum Congregationum Historiam, domesticæ causæ studio, audacius violarunt? Casum ita refert Philippus Brietus S. J. in Annalibus Mundi, seu Chronico Universalis, tomo 7. ad annum 1602. Major excitata est Controversia, & difficilior de Auxiliis Divinae Gratia inter Dominicanos, atque Jesuitas, magnis utrinque studiis agitata; cum illi Molina opinionem, ut hereticam, damnare vellent in Tribunalibus Inquisitionum, ubi illi præsidet; hi Catholicam esse, defendere. Quæsi ergo viri magni, qui coram Pontifice, ac Cardinalibus, aliisque Judicibus, disceptarent: sed amore tanto, ac labore, ut ex iis nonnulli interierint. Hic porro scire velim, quos tacite petat Brietus, quive ex disputationis ardore perierint? Nulli profecto in Lemosium, aut Alvarezium, qui soli ex Prædicatoribus disputarunt, suspicio cadit: quos suo die supervixisse triumpho, certissimum est: ille quippe anno 1629, iste 1635. obiit. Jesuitam ergo tacito nomine indigitat. Huac vero, quem alium, nisi Valentiam?

Næ igitur inverecundum Gabrielem Henao, qui invidiosas Ordini Prædicatorum fabulas oblitque refertans, Valentia lapsum eodem plane loco habendum, ait, quo Henrici Septimi Imperatoris veneficium, ab Ordinis Prædicatorum Professore sacrilege perpetratum. Abiit, ut tam immane propudium, Bernardo Politiano a malevolis tenebrosibus impactum, iis momentis initeretur, quibus Valentia casum demonstravimus. Certe cum impactam illam Religioso Prædicatori calumniam putidæ fabellæ loco ipsemet habeat, uti & revera habendam, demonstrant Clementis V. Pontificis Maximi sententia, in ejus innocentia fidem lata; solemne Principum Imperii judicium; Joannis Bohemæ Regis, ipsiusque Henrici Septimi filii diploma; Episcoporum Mediolanensis, Januensis, Perusini, Lucensis, & Argentinenfis Episcoporum; Scriptorum denique, omni exceptione majore.

majorum, testimonia; (1) judicent, (per me licet) num tot instrumentis everfa fabella cum Valentia casu, tot argumentis æquæ, conferti merito possit. Iisdem Judicibus æqua libertate pronuntiandum, permitto, levioris momenti depravatio illa fuerit, ex qua contrarius omnino Augustini sensus reddebatur; numve ex Editionis vitio orta Valentia aberratio dici possit, qui aliter, quam ipsamet Editio ferret, legisse, ac relegisse convictus est. Sed ad institutum revertamur.

In terram itaque prostratus Gregorius de Valentia, captusque mentis vertigine, foras eductus est; nec ultra deinceps ad Congregationes accessit. Demum, ingravescente malo, Neapolim ex Medicorum consilio ductus, die 25. Aprilis anni 1603. ex vulnere, in disputationis acie suscepto, mortem obiit Gratia Molinistica Martyr. Manibus ejus bene precor: Abiit tamen, ut tales colat Ecclesia Martyres.

Præprope mortis nuntium didicit Clemens VIII. quo tempore cum Cardinali, Nepote suo, Petro Aldobrandino, familiari colloquio tempus duceret. Contigit aliquandiu Eminentissimus Neopontificis ea de re judicium auditurus. Tum capta fiducia, tacentem illum interrogavit, quid sibi de Valentia anima, quid de illius æternæ sorte videretur? Cui subridens ille respondit: (2) Si non aliam habuit gratiam, quam quæ ab ipso defensa est, cælesti profecto felicitate donatus non est. Se non ha hæc alia gratia di quella, che ha difesa, non farò andato in paradiso. Jocosum quidem; sed interm notandum Pontificis dictum! Ridendo enim dicere verum, quid vetat? Non absumili festivitate, ac lepore, post elapsos dies aliquot, Thomam de Lemos per jocum circumvenit Cardinalis idem, dum in illum fortuito casu incidisset. Pater Lemos, inquit, Pontifex vult te irregularem declarare, quia P. Gregorius de Valentia occidisti. Pater Lemos, il Papa vi vuole dichiarar irregolare, perchè havete ammazzato il Padre Gregorio di Valenza. Reposuit erudite, perinde ac religiose, optimus Pater: Non occidi ego, fed Pontifex, qui ab irregularetate immunis est.

Quin immo dicimus, eum ab Augustino occisum esse, quod ejus propositionem falso alle-gasset. Non è ho ammazzato io, ma il Papa, quale non è capace d'irregolarità: è pure diciamo, che P ha ucciso S. Agostino, per haver portato falsamente la sua proposizione. Adeo scilicet aperta res erat, ut ludis palam, ac facietis circumferretur.

Et tamen, si Superis placet, Gregorium de Valentia, Doctorem Doctorem a Clemente VIII. vocari solitum, scribunt Viri, suis amplificandis unice intenti: Qua fide, qua veri specie, dixerint alii. Ego quidem, tantum abest, ut Societatis pugilem superbis apud suos offerri titulis agere patiar, ut potius gaudeam magis: hinc quippe reportatæ de illo victoriæ splendor accedit. Quibus enim titulis Lemosium coronare par erit, a quo Doctorum Doctor, in Litteraria concertatione, atque in ipso Orbis theatro, prostratus est? Quibus notis excipienda Molinæ causa, quam ne ipse quidem Doctorum Doctor feliciter peroravit? Certe

Si Pergama dextra  
Defendi possent, etiam hæc defensa fuissent. (3)

Serry Tom. I.

(1) Trit. in Chr. ad an. 1313. Conv. Vicor. in vita Henrici VII. Albert. Argent. in vita ejusdem. Spon. lan. ad annum 1313. Oedericus Rayn. ibid. Seraricus Soc. J. lib. 5. Rer. Mogun. Balufius, in Misc. lib. 1. (2) Ex Epist. Leon. de Lecce ad Dom. Marches. (3) Virgil. (4) Regis Epist. ad D. cem de Sessa, ex Hispano Latine clatur. (5) Ex Coll. Pegna (6) Gregorius de Valent.

Gregorio de Valentia succititur Petrus Arrubal. Hæc novis sthropbis Congregationes identidem interminit curat: ac tandem aliis concedit disputandi locum.

Publica de Valentia casu fama non Urbem modo, verum & Hispaniæ fines quocumque peragravit; multique causam eo eventu finitam existimant. Accepto rei nuntio, Rex Catholicus novas nomine suo supplicationes pro Apostolica Definitione fieri jussit. Suo in Romana Curia Oratori scripsit in hæc verba.

DUX DE Sessa, ET VAENA CONSobRINE  
(4) Summa animi volupate ex Epistolis tuis, datis die 9. Flobris, didici Sanctitatis. Sæe studium in expendenda Divinorum Auxiliorum Controversia, necnon futurarum disputationum argumenta, propria ipsius manu scripta, quæ Consultoribus, ac Disputantibus tradidisti. Et quidem tantæ necessitatis definitio est, tantique momenti præsentium Controversiarum judicium Apostolicum, ut nihil magis, Idcirco sanctæ, & religiose in iis finiendis a Sanctissimo Patre labor impenditur, Nomine itaque meo Sæe Sanctitati significes, negotiorum hoc omnino urgendum esse, nec inde manum retrahendam, donec ex integro conficiatur. Immo etiam, quavis data occasione, idem ipsi in memoriam voces, meque identidem moneas, quo loco res constitutæ sunt. Donec enim rem plane confectam videro, irrequieta sollicitudine cruciabor. Datum in Turri Syllana die 3. Decembris 1602. Ego Rex.

D. Petrus Franqueza.

Necdum tamen causa judicio matura visa fuit. Gregorio de Valentia in Molinae defensione successerat Petrus Arrubal, qui suas illi jam pridem devoverat operas, dum coram solis Censoribus Controversia verteretur. Aliquot hebdomadarum inducias rogaverat pro uberiori controversiarum questionum noticia comparanda. Hincque effectum est, ut prima post Valentia casum disputatione non nisi die 18. Novembris habita sit. Hac itaque die cœpit Petrus Arrubal Generali suo ad publicos congressus comes adjungi; donec Generalis ipse, capitis vertiginem causatus, die 9. Decembris adeste defuit, ærisque salubrioris desiderio Tusculum fecerit.

Molinæ partes pro viribus egit novus Actor, conatu nihilominus irrito. (5) Tam insaufus disputationum exitus fuit, ut, recurrente mense Februario anni 1603., animos plane desponderint Societatis amici, ac familiares, nec ultra contendendum, ac disputandum judicarent. Istud Generalem Præpositum, Tusculi agentem, Assistentem monuerunt; qui Romam continuo reversus, Clementem VIII. adiit, rogans, ne ultra concertationes haberentur; totiusque Cause exitum Sanctitatis Sæe prudentiæ, & equitati commisit. Veniam etiam Neapolim petendi postulavit, ut incommodæ valetudinis aeris immutatione mederetur, Gratiaque Molinistica Martyri, (6) extremum agonem agenti, justa perfoveret.

Responsum in diem alteram distulit Summus Pontifex, & dilatis interim disputationibus, illum una cum assistentibus reverti, jussit. Reverti itaque



que statâ die, obidem secundo rogarunt, pronamque in omnibus obedientiam sponderunt: Verum timentis prudentissimus Pontifex, ne, si, missis disputationibus, Controversiam definiret, se & minus auditos, & minus expensa Causâ merita, Jesuitæ palam effutirent. Id enim præteritarum rerum usum maxime verendum docuerat; cum nec audiri se, nec momenta sua expendi, eo ipso tempore quererentur, quo tum scripto, tum verbo, qualibet hebdomada audiebantur. In eorum igitur vota minime descendit; sed intermissos Congressus die 14. Aprilis resumit voluit, ne qua eis novæ querimoniz ansa suppetere.

Obtpto capite Pontificis iussa excepit Petrus Arrubal, rursusque in arenam venit pro domesticæ causæ defensione; donec, novo interveniente casu, animo concidit. Die scilicet 9. Julii 1607. Clemens VIII. eruditam Lucubrationem, suæ de controversiis questionibus scripturæ testem, vulgavit, (1) quam, uti penitentis Causæ præjudicium, exceperunt universi. Prædicatorum sententiam de efficacia Divinæ Prædestinationis, & Gratiæ, ad 15. Articulos revocata, & innumeris S. Augustini testimoniis confirmata, complectebatur. Nihil tamen eo Scripto definebat, sed quam in partem inclinaret, aperiebat; ut in futuris Congregationibus expenderetur, an S. Augustini mentem feliciter attigisset. Idcirco Lucubrationem suam ea subscriptione concluserat: An ista sit doctrina S. Augustini in materia Gratiæ? Clemens Papa VIII.

Scriptum hoc in malum omen accepere Molinæ Vindices. Viso illo, præ doloris acerbitate in febrem incidit Petrus Arrubal: Baftida vero, qui Generalis vices in Congregationibus identidem egerat, eadem, ac ipse, vertigine agitari cepit, adeo ut publicum in Urbe scœmma, scripti hujus Pontificii occasione, volitaret: Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, & errare fecit Egyptum in omni opere suo. (2) Indiçhis die 21. Julii Disputationibus se negarunt, infirmitatis titulo; eaque propterea ad mentem Novembrem disferre, necesse fuit. Atque illo etiam tempore, pristina licet valetudini restitutus, Arrubal interesse noluit: quod nullam sibi defendenda Moliniana causa viam superesse cerneret, (3) Die 20. Julii (inquit Illustrissimus Pæna in suis ad Regum Confessarium Epistolis) Congregationem induxit Sanctissimus Pontifex ad diem 21. mensis ejusdem: tamen si ipsa habita non est, ob petitam, infirmitatis causa, a Molinæ Defensoribus excusationem. Ac re vera quidem Pater Arrubal febris continua tenebatur: Baftida vero capitis vertigine laborabat. Quamquam vero febris Arrubalem liberum reliquerit, ad Congregationem nihilominus accedere noluit; quod (ut publica fama circumfertur) omnino nesciat, qua parte Molinæ causam iuri possit.

Displicuit Hispaniarum Oratori tanta disputationum dilatio. Pontificem adit die 30. Augusti 1607. Maturandæ Definitionis necessitatem, ac imminens exilidatione periculum efficacissimis verbis aperuit. Respondit Pontifex, se in eam curam totis viribus incumbere; a disputationibus tamen abstinuisse, partim ob ætatis inclementiam, partim ob frequentes calamitates, quibus Societas a

menibus aliquot jaçtata fuerat. Ea de re Regem Catholicum per litteras monuit die sequenti: (4) Respondit Sanctitas Sua, se in id totis viribus incumbere. Quin etiam testem memetipsum appellavit, cui plane perspectum esset, quantum in eo possisset operam, ac etiamnum quotidie poneret. Addidit, se miseratione commotum ob Patris Generalis, & Arrubalis ægritudinem, Congregationes aliquantulum intermisisse; maxime vero ob Gregorii de Valentia, cujus in locum Arrubal substituerat, recentem obitum.

Sollicitudines duplicavit Excellentissimus Orator sub legationis suæ finem. Pro diligenti Controversiæ tractatione denuo supplicavit Tusculi mense Octobri, dum in Hispaniam recedendi veniam petiit. Nec minori zelo eam urgendæ identidem Definitionis Apostolicæ provinciam dedit Marchioni de Villena, suo in Romana Legatione successori; dum Centumcellis in mutuum congressum venire: quasi id unum præ cæteris Regi Catholicæ cordi esset.

Interea Rex Catholicus, audita Congregationum intermissione, novas, propria manu scriptas, Epistolas dedit ad Clementem VIII., rogans, ne ultra pendens Causæ Judicium procrastinaret; quod unum Societatis in votis esse, didicerat. Ita porro scripsit.

BEATISSIME PATER.

(5) Sæpius Sanctitati Vestræ nomine meo, exposuit Dux de Sessa, quam necesse sit, ut Auxiliorum Controversiâ, in qua Prædicatores cum Jesuitis committuntur, finem imponat. Quamquam autem mihi ipse rescripserit, quam ardenti desiderio id velit Sanctitas Vestræ, quamque indefesso studio Congregationibus habendis allaboret; cum tamen mala in dies suboriri, Ecclesiæque Catholicæ schismatis periculo committi, sentiam, nisi Apostolica Definitione provideatur; idcirco Sanctitatem Vestram omni, qua possim, contentione, & ardore pro rei magnitudine deprecor, ut Controversiam, posthabita quacunque dilacione, definiat; pacem Ecclesiæ conciliet; cunctosque fideles, imminens periculi metu commotos, soletur. Qua de re distinctius, & fusius Vobiscum ager Orator meus, cujus fidei cuncta committo. Deus pro votis Sanctitatem Vestram sospitem habeat. Datum del Pardo 24. Novemb. 1607. Vestræ Sanctitatis humillimus, ac devotissimus filius, PHILIPPUS, Dei Gratiæ Rex Castellæ, Aragoniæ, Leonis, utriusque Siciliæ, Hierosolymorum, Lusitaniz, & Navarræ, & Indiarum; qui ipsius Sanctissimos pedes, ac manus deosculor.

Novo Oratori animos dedit tam ardens Religiosissimi Principis supplicatio. Infrat & ipse diligentius; (tamen si a decima die Novembris Congregationes resumptæ essent, alique Athletæ, Ferdinandus de Baftida, & Joannes de Salas, post Arrubalis retrocessionem, pro Molina in aciem venissent) quia præcedit Summi Pontificis ætas, frequentibus infirmitatibus interiecta, Romanam Curiam in gravissimum imminens ejus obitus metum induxerat; nec alius futurus facile sperabatur.

(1) Infra cap. 9. & in Append. (2) Isaie 19. (3) A los 20. de Julio, Su Santidad mando intimar la Congregacion para los 21. del mismo; aunque no se hizo, por averle excusado los Padres defensores de Molina, alegando su enfermedad. Y era assi que el P. Arrubal estava con calentura continua; y Baftida con viados de cabeza. Y aunque al P. Arrubal le ha dexado la calentura, nunca mas quiso volver à la Congregacion; y dice publicamente, que es per que no vee modo seguro, para poder defender à Molina. (4) Su Santidad me respondo, que à el se le dava tan grande cuydado, como es razon; y que sabia de la manera, que ha trabajado, y trabajava en ello. Y que si estos dias ha dexado de continuarlo, ha sido por la compasion, que le han hecho la enfermedad del P. General, y del P. Arrubal de la Compañia; que tratan deste negocio. Mayormente viendo que muero pocos meses ha el P. Valentia, en cuyo lugar entro este otro. (5) Regis Epist. ad Clem. VIII. ex Hispano Latino datus.

rabatur, qui æque in hisce Controversiis versatus esset.

Hinc factum arbitror, ut Jesuitæ Galliarum, veriti, ne pius Pontifex, toties de finienda Controversiâ rogatus, sententiam tandem pronunciarer, quæstiones de indeficienti Romani Pontificis Judicio ea ætate in Galliis excitantur; ac ea quidem calliditate, ut maximam Clementi VIII. injuriam irrogarent, ejusque Auctoritatem veluti de industria luderent. Certe, si quæ ab iis tanto studio vulgata est, Henrici IV. Responso (1) ad Harlaum, Galliæ Senatui Principem, de Societate non admittenda perorantem, genuina esset, uti eam illi genuinam obtulerunt; liqueret profecto, Galliæ Jesuitas sub id tempus defendisse, cæteros quidem Pontifices indeficienti privilegio frui, minime vero Clementem VIII. Ita quippe Regem, inter alia reponentem, exhibent: Vous ne dites pas, que ces jours passés les Jesuites ont soutenu, que le Pape ne pouvoit errer, mais que Clement pouvoit faillir. Hoc est. Id vero omittit: Jesuitas elapsis proximè diebus propugnasse, Pontificem errare non posse; Clementem nihilominus posse.

Ego quidem prolixam illam Henrici IV. ad Harlaum Orationem, qua alia non pauca, Augustissimo Senatui injuria, recensentur, spuriam habeo, ob Clarissimi Thuani, qui præsens tunc aderat, testimonium, omni exceptione majus. Is quippe Libro 132. Historiarum, recensita Senatui Principis supplicatione, & Henrici IV. Responso, sic addit: Que omnia ego, qui actioni cum multis aliis intersui, (2) eo diligentius præscribenda curavi, ut vanitas Relationis, Italica lingua scripta, & Turnonii in Vrsariensi pago anno post publicatæ pateat; in qua pleraque contumeliosa contra amplissimum Ordinem addita, que nunquam tunc Regi optimo ex ore exciderunt, quedam etiam ex rumusculis collecta, pro responsa inculcata ad ea, que ab Harleo minime dicta fuerant. At cum prolixiorum illam Regis Orationem Jesuitæ de industria vulgarent, uti Societatis Panegyricam, minus certe moleste ferent, si quid inde repetamus. Aut enim insulsum illam assertionem re ipsa tunc propugnantur; aut si minus, eam saltem propugnasse, videri volunt, qui ita Regem maximum loquentem inducunt.

CAPUT VII.

Novi Molinæ Vindices varias artes meditantur, ut Pontificem Definitionem eludant: eamque, interveniente Pontificis obitu, re ipsa effugiant.

Ubi primum novi Molinæ Vindices in ejus defensionem venire, dilaciones, cæterorum more, quæserunt. Ingenium illud procrastinandi studium auxit pervulgata cujusdam Astrologi de Clementis VIII. fortuna vaticinatio; qua futurum illum Cardinalem, tum Romanum Pontificem, annique duodecim regnatorum prænuntiaverat. (3) Cum enim ineunte anno 1604. Pontificatus ejus duodecimum expleretur, summa Societati effugendi Judicii spes affluerat; dummodo Pontificem Maximum, aliosque pendens Controversiæ Cognitores, lenta mora detinere possent. Hic igitur opus, hic labor fuit, nec sine dolo tentatus.

Disputationem, die 3. Decembris 1603. habendam, triduo in antecessum indixerat Clemens VIII. Hanc illi, speciosa excusationis obtentu, differri, supplicarunt. Quod ne forte Sanctitas

(1) Extat tom. 4. seu in Additionibus ad documents D. de Villeroy. (2) Anno 1604. 2. Jan. (3) Pet. Matt. in Hist. 7. annorum pacis, lib. 7. narr. 4. (4) Ex scripto D. Arnachi in Append. & Lemisso tom. 2. tract. 6. cap. 2.

Sua grave ferret, Nepotes illius ea ipsa die magnificis epulis exceperunt; quasi ea duntaxat implendæ urbanitatis necessitate Disputationi se negassent. Duas ille quæstiones pro ejusdem Disputationis argumento identidem designabat: ad unicam illi consulto respondebant; ne Causa expedite conficeretur. Orationes, qua majori posset brevitate habendas, jubebat: prolixitatem illi studiosius affectabant. Quæ res tantam Summo Pontifici dedit offensionem, ut in solemnè Congressu, die 20. Januarii celebrato, palam exclamarit: Che voleteci amazzare con la vostra longhera? Ut quid vultis vestra nos prolixitate obruere, & enecare?

Verum, dum se fanaticis Astrologorum auguriis delusos, experti sunt Viri boni, annuque Pontificatus tertium-decimum a mensibus aliquot inchoatum viderunt, novas procrastinandi vias iniere.

Paulum Benium, Eugubinum, in hanc litem intulerunt, qui Clementi VIII. dirimendæ Controversiæ modos, rationeque suggereret. Erat is Poeta eximius, publicus eloquentiæ Professor in Academia Patavina, qui Poeticam Aristotelis egregiis Commentariis illustravit; Poeticam Platonis ex variis ejus Dialogis collegit, variatque id genus in Homerum, & Virgilium lucubrationes adornavit; quæ illum humanioribus litteris, ut publicæ professionis munus postulabat, insigniter perpolitum ostendunt. At tantum erat a Theologicis studiis alienus, quantum ab Apostolis Musæ distant, aut a Parnasso Porticus Salomonis. Pro ea, quæ Poetis ingenta est, quilibet audendi potestate, librum vulgavit anno 1603. sub hoc titulo: Qua tandem ratione divini possit Controversia, que in præsens de efficaci Dei Auxilio, & Libero Arbitrio, inter nonnullos Catholicos agitur. Ad Sanctissimum, & Beatissimum Clementem VIII. Pontificem Maximum. (4)

Dirimendæ Controversiæ specie, purum, punctumque Molinismum Pontifici instillabat, nec longe a Pelagianismo abibat. Gratiæ distinctionem in sufficientem, & efficacem, uti proflus insufficientem, inutilem, & a Sacris Litteris, Conciliis, Patribus, ratione alienam, explodebat, Capite 3. Tum non longe digressus pag. 17. Gratiæ se ipsa efficaci procul ablegata, rem totam ita demum dirimendam statuebat, ut sola Gratiæ indifferens sanciretur: Ergo cum fieri posuerit, ut aliqui conversi fuerint, aliqui non; aliud genus Gratiæ censendum est, nimirum indifferens; cuique pro arbitrii libertate liceat consentire.

Fama fuit, eum non opus quidem edidisse, sed suum potius Editori vendidisse nomen; neque enim aut ejus ingenium, aut eloquentiam referebat. Ut ut est, si vendidit, pecuniam certe novo usure, ac luci genere auxit, anno evolutto: Romam quippe vocatus, gravissimum animadversionem subiit. Liber Pontificis iussu, ob recusos Pelagianos errores, damnatus, ac iussu etiam Inquisitionis Generalis flammis addictus est. Tamen id non ita cito factum, quin ejus exemplaria quam multa Francosursum pervenerint, ab hæreticis avide coempta, ut suas in Ecclesiam calumnias confidentius instaurarent. Damnationis Edictum ad consueta Urbis compita affixum est, ut hic habes.

Edictum Magistri S. Palatii Apostolici. Nos F. Joannes Maria Brisighella, Magister S. Palatii Apostolici, Judex Ordinarius, &c. De expresso Mandato S. D. N. Papa Clementis VIII. prohibemus Librum, cui titulus: Qua

(4) Quæ